Malicki Bart. Cas: Divinum humanae reparationis opus lyrico modulamine adumbratum.

DIVINVM

Humanæ Reparationis
OPVS

Lyrico Modulamine.
Inter annua Lubransciana Poëseos exercitia
ADVMBRATVM.
&
Candidissimis PERILLVSTRIS ac RnDISSIMI DOMINI

D. THEODORI KORZENIEWSKI

Pszczeuensis ARCHIDIACONI, S. T. D. Gnesneñ Posnanienq; Ecclesiar: &c. CANONICI, Præpti Costen:, S. R. M. Secretarij
FASCIIS,
Ad perhibendam submissi affectûs propensionem
in solenni Annuoq; S. THEODORI Patronatu ac festiuitate

CONSECRATVM.

Per M. Bart: Casim: MALICKI, Phil: Doctorem, & in AA. Posn: Poëseos Professorem, ac Contuber: SZOŁDRSCIANI Senior:

Anno Fasciati in terris VERBI DIVINI 1682. die 9. Nouemb:

POSNANIÆ.
Jn Typographia Rndi D. ALBERTI LAKTANSKI

In Gentilitia, Perillustris ac Rndmi Domini.
INSIGNIA.



Epigramma.

Cingere cùm cœpit DIVINVM FASCIA VERBVM,
Hinc sibi cándores, hinc decus omne tulit.
Ergo cicatrices vînclo huîc & pectora nuda
Orphana per diros Patria crede Getas.
Æterno potuit cùm hæc suffecisse Pusillo,
Vulneribus suberit sufficietq; tuis.

PRÆFATIO

AD *Fascias Æternum* VERBVM *in prima salutis humanæ restauratione se inclinari passum, nunc quoq; opportunos Musæ meæ inspirauit Fauonios, etiam exiguam hanc immensæ bonitatis laborisq; sui memoriam non alibi potiùs malle foueri, quàm in purissimis Fascijs Tuis* Perillustris & Rndissime Domine *Quippe si verum illud Claudiani:* Ad mores facilis natura reuertit, *cur assuetas Æternum* VERBVM *non ambiat Fascias? præsertim Tuas quæ velut cælesti rore multoties irrigatæ assumpto felici incremento tanta seculorum serie non vulgarem puritatis nitorem sub Lechico sole emicabant. Niteant Phænicio gloriabundæ Tyrus Sidonq; ostro, expandat serenæ luci suas Aßyria Gætuliaq; purpuras, Orbis Polonus post fera hostilium populationum spolia non meliùs vestiri vnquam potuit, quàm vbi spoliatam orbitatem suam Fascijs concredidit. Ipsæ ArchiPræsuleæ Mitræ, Præsuleæq; Infulæ imòq; cunctæ Senatoriæ Curules deesse sibi non modicum ornamenti cognoscunt, si assuetis ac quasi iam connaturalibus his Insignijs non fasciantur. Nec militare classicum plausibiliores vsquam soluit intonare triumphos, quàm ubi illud Fasciatus Mars inflare non neglexit. O quàm perbelle Lechicum sagum tot ætatum cumulis optato bellorum exitu renitebat, quoties candidis Maximorum Maiorum Tuorum resarcitum Fascijs venerandas bellantium heroum cicatrices non priùs lethali sarcophago reuelabat, antequam lætis trophæorum plausibus ipsos etiam persæpe belli horrore pallentes animos mox in palantes fortiq; pectore hostilem ferocita-*

tem reprimentes mutauit firmauitq́. Rubet præ oculis non dumtaxat gratæ Patriæ grata, ast horridis quoq́ Musurmanis horrenda magni eorum Nominis memoria, quam non tam aureo perennibus marmoribus victurisq́ cedris penicillo, sicut ferreo stylo in tumidis hostium ceruicibus insculpsere, plenoq́ scatentis Gatici cruoris alueo perpetuam Epigraphen inscripsere. Atqui nec præsens sæculum vndiq́ deseret orbatum Martem nostrum, quandoquidem Patriæ non irrita spes, Magnorum non minor Nepos Auorum, non delicatus Martis Alumnus, fidus Reipub: Consus, non tardus incolumitatis prouisor, zelosus pro iustitia Cato, pro tranquillitate Marius, strenuus in reprimendis hostibus Cocles, atq́ (vt Magnanimitas indicat) paratus ad terrendas Othomanicus hydras Scæuola, Illustrissimus Dnus IOANNES STANISLAVS KOCRZENIEWSKI, Regni Cancellariæ Regens, Costensis &c. Capitaneus, Vna Tecum Perillris & Rndme Dne, fidi non naturâ tantùm sed quotidianæ virtutis vinculo ligati Arcades nil aliud piè molimini, quàm vt demolitis Ecclesiæ Patriæq́ hostibus continuus Superorum cultus, concordes Reipub: animi, iustitiæ vigor, incolumitatis augmentum, pacisq́ desiderata integritas vigeant, firmumq́ incrementum capiant. Dudum iam de vtroq́ Vestrûm hanc iudicij soliditatem, mentisq́ perpetuam constantiam tam illibatæ memoriæ Serenissimi MICHAELIS I. atq́ nunc felicissimè imperantis Inuictissimi IOANNIS III. Regni Poloniæ Regum, quàm ArchiPræsulum, Præsulum omnium Primatum Procerumq́ Patriæ animi non irritâ sagacitate perlegére, diuq́ laboriosam hanc probitatem condignis præmiandam coronandamque munijs ac honoribus postulauere. Iamq; dum nitidus Castor bonis auibus, in Orbe Politico altis

gradibus eminere lucereque incipit, necessum erat vt suum Ecclesiastica sphœra Pollucem paruis non sineret immorari hemisphœrijs, quatenus simul oriri debita vtriusque probitatis lumina eò intensiùs àëris Poloni caligines dispellant. Et sanè optimè rebus Lechicis consuluere Numina, cùm virtute doctrinâque Tuâ non Gnesnensem tantùm, verùm & Posnaniensem Ecclesiam ornauere. Digna de facto (iudice cælo) virtus, cui vnus cum Peleo iuuene non sufficiat orbis. Atq; nec ego immensa Æterni VERBI suscepta in reparationem humani lapsûs opera intra annuos Lubransciana Pöeseos lares lyrico attingendo concentu ducere potui alibi me hilariori auditu percipiendũ, quàm apud Te Perillris & Rndme D. qui operibus pijs semper Te candidum nondum taxat spectatorem sed magis Fautorem exhibuisti. Si meruere id Gentilitiæ Fasces Tuæ, vt Æterno VERBO in eis Regali Sacerdotio sanctificatis volui reuoluiq; lubeat, non vanum omen est mihi de eodem in hoc opusculo tractanti hîc quoq; paratum facileq; fore reclinatorium. Reserabit accesũ D. Electus Dei THEODORVS, qui hodie in annua recurrens festiuitate ad assumendas cælestes Gratias etiam pectus Tuum reserauit. Et quid ni quoq; recinendis meis carminibus arrectas suscitet aures? cuius ipsum etiam Venerandum Nomen non sonat quidpiam, quàm DEVM PSALLENS. Atq; cùm ego non quid aliud plaudens accedo sub Fasciarum tegmine sibillantes aptaturus chordas, vt non tardus velamine Fasciati fauoris Tui tegar protegarq; submissius oro.

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONIS TVÆ,

Deuotissimus seruus M. B. C. MALICKI.

EPOPÆIA

Ad Solennem DIVI THEODORI PATRONI PERILLVSTRIS & RNDMI D. THEODORI KORZENIEWSKI.

Annuum Recursum

APPLAVDENS.

JNcipe Bœoto modulari Pallas ab antro
Tuque mihi Musas huc iungere Phœbe disertas
Non tarda, solusque chelym plectendo sonoram,
Seu mauis citharâ festiuos occine plausus.
Pleiadis Alme Nepos virgâ venerande potenti, Mercurius.
Antiopesque sacro docilis de semine Nate, Amphion.
Currite, iucundisque diem hanc celebrate camœnis:
Incola quam rutili referens Theodorus Olympi,
Annua de Superûm thesauris dona reuoluens,
Cuncta dat in gremium Magni Gratique Clientis,
Fascia virtutes cûi KORZENIEVSCIA cingit:
Hôcque supernarum prudenti munera Condo
Dotum Orthodoxum latè dispertit in orbem.
Nunc mihi lucigeras si fertilis India gemmas
Euphrates Gangesque auratum visere fundum

Pacto-

Pactolusque sinat fluitantes sumere arenas,
Hac Te ô PRÆSVL fas esset cingere dote
Quem cingunt hodie cælestis vincla fauoris.
Cùm verò optatos non præbet lympha nitores,
Ipseque gemmiferâ volui pontus cupit vndâ;
Sat mihi, satque illi supero qui diues aceruo,
Per magnum Indigetem Lechico nunc orbe coruscat;
Dum vos Castalio madidantes plectra Magistri
Dulciloqui sonitûs suauem resonabitis echo.
Non mea Thebano celebrari culmine Musa
Laomedontæisque cupit florere columnis;
Nomina sed tentat nunquam peritura sonare,
Iucundosque choros tam fausto aptare diëi.
Ergo meis iterum recinentes plaudite votis,
Argutasq; lyras concordi pollice iuncti
Plectite: nec tellus vestro vacuata fragore
(Roscida quà Titan occultus cornua tollit,
Quàq; fatigatas soluit dissoluere habenas)
Prætereat: totoque melos sonet àëre clarum,
Et summos feriat suaui modulamine cælos
Audiat omne genus Magni pia Præsulis acta,
Audiat, & pleno totum bene buccinet ore:
Viuat, & intactos Præsul Theodorus in annos
Candida robusti protendat stamina sêcli,
Donec fausta dies Pilios æquauerit ætas.
Viuat, nec superis properet discumbere mensis

DIVI-

DIVINVM Humanæ ſalutis OPVS
Lyrico Modulamine adumbratum.
Oda Sapphica de Natiuitate Dni N. IESV Chriſti.

Annus in terras redijt beatus,
Sorte quem fauſta genito Puſillo
Poſtibus miſit populo ſupernis
Arbiter orbis.
Iam bis accedit ſuper octoginta
Mille ſexcentos volutare curſus
Phæbus, ex quo orbi placidum reuoluit
Faſcia VERBVM.
Vagit anguſto poſitus cubili
Puſio æternus: ſpatioſa quondam
Cuî fuit nec ſufficiens ſcabellum
Machina mundi.
Friget en brumæ gelido rigore
Halitu gaudens aſini bouiſq;
Spiritus qui omnes patulos per auram
Duxit in orbem.
Ille quem nutu minimo ſecutus
Extitit rerum cumulus, piorum
Accipit gratus reputans beata
Dona Magorum.
Vota paſtores rudibus ſonantes
Vocibus reddunt, reſonat ſupernum
Cuî melos ſemper, reprobat nec iſta
Cantica Natus.

Mitis Agnellus tumidi tyranni
Crimen Herodis fugiendo vitat,
Quærit Ægypthum Bethlehem relicto,
Frigore pressus.
O Dei Nati bonitas stupenda!
Siccine in terris colitur supremum
Numen, vt vermis miserandus illud
Pellere possit?
Curre cælestis volitando turba
Et tuum Regem manibus cruentis
Vindica, reddens trabibus supernis
Munera Divûm.
Eia Diuinum videamus omnes
Mente deuota recolendo amorem
In genus nostrum, tolerando quantum
Exhibet orbi,
Suscipit fortes manibus tenellis
Fascias, dextram cohibens, ne diro
Perdere ingratas hominum cateruas
Fulmine possit.
Lac ei Mater niueo Maria
Vbere instillat, reficitq; Natum
Hoc cibo, quem Virgineis pararunt
Astra mamillis.
Dulcius cuncto fruitur Pusillus
Nectari, Matris sapido liquore,
Æstimans tanti pretiosa castæ
Pectora mentis.

Ille

Ille quem Patrem reputabat orbis
Æstuat canus Genito ministrans,
Stirpe fabrorum datus ad superna
Munia Ioseph.

Cur Tuo ô Numen generi potentem
Orbis Augustum renuis vocare?
Qui Tuis tutor fieret per altum
Partibus orbem.

Scilicet celsis humiles beare
Sedibus venit, reprimendo diros,
Moribus donec satagent solutis
Sumere frena.

Vos piæ gentes hominum, renatas
Iesuli laudes celebrate, cunctos
Per dies gratæ, resonando clarum
Vocibus Io.

Io per mundum patulum triumphans
Dulcibus cælos repleat camœnis,
Et feri montes repetant sonoris
Plausibus Echo.

Elegia de sanguineo sudore Dñi Nostri IESV Christi.

Diluuium reuidete recens infra Astra fideles,
Atque Dei donum mente stupete pia.
En Dominus mundi salubrem sudando cruorem
Tellurem totam sanguinis amne rigat.
Gethsemani multùm reliquis felicior horte,
Qui tantis fluuijs abluis arua tua.

Im

Imò totius faustissima tempora terræ,
Dum iam hoc Empyreo flumine sparsa manent.
Cedite dêhinc solis pleni nugis Iouis imbres,
Nomine qui aurato carpitis omne decus.
Abscedat nitidâ Ganges sinuosus arenâ,
Aureus Euphratis fundus abinde ruat.
Castalio nobis vbi suauior affluit amne
Baianis multò fons magè dulcis aquis,
Vngula siderei fudit quem Bellerophontis,
Toto qui maculas orbe lauare queat.
Currite Tantalidæ, vestras hîc linquite culpas
Fons hic inexhaustam diluet ipse sitim.

Ode Dicolos Distrophos de flagellatione D.

CRudeles animi dilaniantium
Donec figere vulnera
Audetis trucibus corde furoribus?
Plagarumque genus novum
Cælestis Domini deficientibus
Vultis subdere brachijs?
Optatisne citò pura per aëra
Dulcem fundere spiritum
Huius? qui omnigenis viuere mentibus
Productis nihilo dedit.
Busiris properet si huc ferus & Nero,
Ac omnis truculentia.
Artus si Domini conterat, exitum
Membrisque acceleret pijs:

Phœnici huic nequeunt carpere ſpiritum
Quamuis conficient ſacros
Lumbos verberibus, fataque ſordida
Dextris ſanguineis dabunt,
Cui Diuinus amor viuificos parat
Et iam conſtituit rogos,
Ac flammis ſolidæ iam reparantibus
Vitæ ſæcula concitat.

Ode Sapphica de ſpinea coronatione Dñi.

Perfidæ gentes, truculenti Hebræi
Duxne fœdati genus hoc baratri
Vulnerum vobis recitans, in atros
Suſcitat auſus,
Qualis à diro ſolet Eurus Afro
Profluens ſæuos agitare fluctus
Fluctibus trudens, maris & profundi
Summa penetrans.
Sæuiens altis minitando ſaxis,
Stridulos longè ſtrepitus remittens,
Fundit immenſum chaos, & ſupinas
Verberat vndas.
Aut velut magnæ manibus cateruæ
Hoſtium pugnam regerunt, ſtrepente
Claſſico crebris gladijs replendo
Ictibus Æthrâ.
Proximos ſparſo fluuios cruore,
Aridas glebas, ſterileſque ſulcos,

Obuias quaſuis latebras viarum
Inficientes.
Proh feræ gentes, vitioſa turba
Ac fere excordes populi, prementes
Arbitri rerum paribus flagellis
Carpitis artus?
Et tamen necdum ſatiata corda
In Redemptorem phlegetontis atras
Suſcitant vires, capiti parantes
Oxyacancha.
Siccinne ô mundi Genitor ſupernum
Inter humanos reputas honorem?
Ingeris ſanctum caput ad coronam
Vulnera dantem.
Atq; tu miro pretio metallis
Omnibus præſtas ſtatuens coronam
Cælitum turbæ nitido decori
Celtica nardus:
Dulcibus noſtrûm quoq; punge corda
Spiculis, & fac ſimul ut labentis
Rite curdeli Domini dolori
Condoleamus.

Oda Tricolos Tetraſtrophos de Chriſto Crucem baiulante.

O Ieſu rubeis fuſe cruoribus
Vix os ſanguineum mittis in halitus
Vix iam membra leuare
Ad greſſum potes unicum

Eccur

Eccur acceleras ſupplicium recens
Portare occiduis fortiter artubus?
In quo immite recumbit
Totum flagitij genus.
Hanc molem referes compita in inuia?
Quam non Enceladi credere viribus
Fas eſſet, neque Rhœtus
Membris tolleret horridis.
Ceſſa iam ô renitens Empyrei decus
Per colles luteos ſerpere, nec modum
Tarda figere Hebrææ
Iam tandem truculentiæ.
Aſt audet Dominus mittere languida
Immenſo huic oneri brachia, nec crucem
Poſtponens tolerare
Fatalem premit arborem.
O arbos ſuperis ſancta fauoribus!
Quàm te frugiferis ſtyrpibus edidit
Tellus, vt merearis
Portari à Domino poli

Oda tricolos tetraſtrophos de crucifixione D.

Ah ah latronum dira ferocitas!
Iam ſtyx ad auſus ingenio caret,
Iam membra neſcit lancinare
Addere ſuppliciumque neſcit.
Sed proh tyranni! vos cacodæmonum
Præ-

Præſtatis atrâ mente furoribus
Et Colchico ſæuos veneno
Cerbereos ſuperatis angues.
Cuius Meduſæ progeniem feram
Cohors hebræa te geris? vt queas
Acerbiùs ſæuis lacertis
Occiduum lacerare Chriſtum,
Medea forſan pocula lurida
An verò Cyrces ingenium vafrum
Commiſcuit diris ferarum
Te gregibus, geniumque carpſit.
Vt inſtar atri perfida Protei
Mutare mentem vulnera in horrida, &
Induta ſæuos hiſtriones
Innocuo maleſana Chriſto
Illudere auſis; ac iterum nouas
Parare pœnas; o pudor, o furor,
O millies orco, magiſque
Tigridibus truculenta Parthis!
Adhucne atroces in cruce figere
Tentatis illum? membra cui omnia
Vix ſemiuiuo lancinata
Vulneribus laceraſtis atris.
O alme cæli perſpicui Pater
Impune donec proſpicies truces
In Filium ſæuire Hebræos?
Diûque feros patieris auſus?
Tantine cenſes complacitum tuum?

Sit Horat: lib: 3. Od: v. ſi non periret immiſerabilis. Et Od: XXIII. Non ſumptuoſa &c. nominat.

Iuxta locos Horat: ſuperius citatos.

His

Hic ſolus eſt qui complacuit mihi
Dicis, ſed eheu nunc amarè
Membra ſinis pretioſa carpi.
Iam mundus horret, ſaxaq; corruunt,
Lugere titan & nitidus polus
Iam diſcit, & natura rebus
Omnibus ingenerat dolorem.
Heu præpotens! cur ſola ferocia
Prauæ cohortis verberibus modum
Habere neſcit, cur atroces
Non properas agitare mentes?
O mitis Author ſtelligeri poli
Immitis es nunc, ſi Genito Tuo
Sub horridis plagis gementi
Mittere ſuppetias retractas.
Immanis olim fulguribus tuis
Pronè Gigantum ſuccubuit cohors,
Et dexteræ præſumptuoſæ
Huc miſeras tenet vſque pœnas.
Vnius ictu (veriùs) Angeli
Centena diri millia preſſeras
Exercitûs & calcitrantem
In cineres populum impuliſti.
At hunc potentem quis potuit Tuæ
Iecisſe dextræ nunc obicem? feras
Ne comprimat mentes: ſinatque
Grande nefas fluitare ad augem.

Amor-

Amorne flagrans erga hominū genus
Tantum valebat? sic meritò piæ
Mortalium scitote turbæ
Cum lachrymis referendo grates.
Dolens IESV, plùs decies dolens
Amoris vano flamine prosequens
Ac impiam ingratamq; dono
Stirpem hominum cumulans perenni.
Iam fata Christus de cruce pendulus
Extrema soluit, oreq; Spiritum
Dulcem remittit, brachijsq;
Fonticulos salubres profundit.
Huc o scelesti confluite ocyus,
Christo dolenti compatiamini,
Et ablui vestris sinatis
Criminibus, fieriq; mundi.
Præstat vicissim sed fluidos dare
De corde riuos: figere luridis
Iam moribus fatale punctum, ac
In melius fruticare germen.

Oda de Resurrectione Dńi Dicolos Tristrophos in qua duobus Ionicis Trimetris adijcitur 3tium 4trimentum, quemadmodum est apud Horat: lib: 3. Od: 12. Miserarum est. &c.

Io lætum resonandi subit hora,
Venit altâ venerandum pietate
Et amænè tetrico non leue tempus volat orbi,

Populi quod miserandas ab atroci
Phlegetontis valuit soluere nexu,
Et in æuum religatas hominū mittere dextras.
Pius in quo repetens tempora Phœnix
Rediuiuus redit vnquam periturus,
Referansq; Empyrei cætibus almis capit aulam.
Leo fortis rugiendo dat ouantes
Sonitus terrigenis, ac decus omne,
Tutudit cùm fera prorsus Lachesis tela ferocis.
Dederat nuper atroci Libitbinæ
Breue tempus truce clarescere plausu,
Auidasq; in spatioso aëre connectere palmas.
Sed Io nunc celebrantes resonemus,
Iuga postquam Atropos immania fregit,
Ceciditq; & sibi fatum feriens accelerauit.
Renitent iam Redimentis pia dicta,
Quibus olim minuens tristia mundo
Feriā te, (inquit) ero mors moriēdo tuaq; o mors.
Properes huc modulator celer Orphæū
Reprimens dulciloquæ stamina testu- Sic Horat: lib: 1 Od: 12. dictionem exanimari diuidit.
dinis altos fer in orbē patulū ac concine plausus.
Date nostris Superi Amphiona seclis
Date mille æthereos & cytharædos
Resonent fausta per orbē Rediuiui noua Christi.

Oda Sapphica de Ascensione Dñi.

ENite Titan, meliùsq; mundo
Sparge fulgorem, nitidis apertum

Recre.

Recreans orbem radijs, amœnas
Accelera horas.
Voſq; diſpulſis maculis ſereni
Poſt atras cæli tenebras rubete,
Aſperas olim æthere diuagantes
Pellite rugas,
Vt nitens mundum iubar in decoros
Suſcitet plauſus, facilique tota
Ore iucundum ſonet Alleluia
Machina terræ.
Iam paludoſis Superûm leuatus
Collibus veſter ſolium perenne
Occupat Splendor, vacuamq; ſedem
Poſſidet Almus.
Ampliùs iam non dominatur illi
Atropos, triſtes ſibi luctuoſa
Nænias lato gemebunda ſemper
Occinet orbi.
Hercules Diuus ſtygiæ probroſa
Ampliùs nunquam repetenda triuit
Monſtra hydræ, quare populi ſonoros
Pandite plauſus.
Iſrael omnis ſonitu canoro
Impleas terram, tuus ecce Natus
Debita æternæ TRIADOS triumphans
Aſtra recludit.
Plaudite humanum genus omne: namq;
Carne

Carne de nostra mediante Christo
Cælitus missis carò iam attributis
Glorificata.

Ergo iam votis paribus fideles
Vocibusq; altis resonemus omnes,
Sideri gratum recinamus Io
Iò triumphe.

